



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**DE EXCELLENTI || DIVINAE GRATIAE NATVRA,|| & iis que  
ad eam tùm obtinendam tùm conseruandam ||  
requiruntur, de#[que] ipsius admirabili efficacia ||  
DISPVTATIO,|| In inclyta et Catholica Academia ...**

**Valencia, Gregorio de  
Stevartius, Petrus**

**[Ingolstadt], 1576**

Capvt Primvm. Quo, diuini in nos amoris consideratione, quid sit gratia generatim accepta, inquiritur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46873](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46873)

## DE GRATIA DIVINA.

Quæ de diuina gratia disputari solent, ea in partes quatuor commodè distribui possunt, vt primùm explicemus quid sit gratia, quamq; latè pateat: Deinde, quænam requirantur ad gratiam potissimùm obtinendam, qua dici solet homo gratus Deo: Tertio, quæ prætereà ad eandem conferuandam: Postremò, quæ sit eiusdem gratiæ vis, quidue in homine efficiat.

### PARTIS PRIMAE de natura gratiæ,

#### CAPVT PRIMVM.

Quo, diuini in nos amoris consideratione, quid sit gratia generatim accepta, inquiritur.

**IA** verò nemini dubium est, diuinam gratiam aut dilectionem Dei esse, qua is homines prosequitur, aut ornamentum aliquod hominis, ex amore illo profectum, quo impellitur Deus, vt apud eum mansionem faciat: Idcirco vt, quod primò propositum est, rationem gratiæ faciliùs explanemus, à diuini amoris in homines contemplatione, exordiamur.

Ioan. 14.

**II.** Norunt etiam imperiti, et natura voluntatis declarat, diligere esse, rei amatae bonum velle. Ac nos quidem, quia nostra voluntas bonum omne tanquam proprium scopum spectare potest, efficere verò non potest, non quicquid boni amando volumus rei amatae, ei impertimus: Deus verò qui quacunq; voluit fecit, quoniam præditus est infinita perfectionis voluntate, per quam parens est omnium, velle aliquod bonum à se distinctum creaturis non potest, (saltem secundum legem ordinariam) quòd eadem voluntate non efficiat, atque ad eum ei communicet; neque contra aliquid boni creaturæ tribuere quin eam eo ipso amet.

Psal. 113.

**III.** Hinc intelligitur tam latè patere diuinum erga homines amorem, generatim acceptum, quam bona omnia humano generi à Deo tributa; neq; fieri



Iacob. 1.

Ioan. 3.

Gen. 15.

Sap. 2.

illo modo posse, ut quo tempore homo nihil boni de nouo vel recipit vel acci-  
tit, eodem verò dicatur à Deo de nouo diligi, aut non diligi. Hominis ex-  
celsio est, cuius affectus re immutata mutari potest; aliena prorsus à Deo per-  
fectio, neapud què cum non sit transmutatio, variè denominari respectu re-  
tutarum non potest, nisi secundum earum mutationem.

IIII. Porro verò nihil iam dicemus de infinito illo amore, quo se Deo  
dilexit mundum, ut filium suum vni genitū daret. Nihil de illo, quo se se-  
cedis loco post hanc vitam pijs hominibus, sicut promittit, est daturus. Vite-  
mus tantummodo, quantum ad propositum satis sit, quæ bona creata, ex diuina  
dilectione manent in humanum genus. Hæc namque sunt, quæ ab homine re-  
tentæ efficiunt, ut peculiariter à Deo diligi in hac vita, amissa verò, non  
diligatur; quam vicissitudinem in gratuitam etiam dilectionem, quan-  
quiritur, competere, perspicuum est.

V. Ac primùm quidem bona illa occurrunt, quæ cum naturalia dicuntur,  
ex naturali dilectione, qua diligit Deus omnia quæ sunt, in hominem pro-  
xerunt. Ea sunt: Natura præstans duplici rerum gradu completa; corpoream  
quem cum brutis habet communem, & spirituali, quo proximè ad Angeli-  
rum perfectionem accedit: Duplex item illa, ac nota satis tum cognoscen-  
tium appetendi vis, ad utramque partem tuendam accommodata, quæ tum  
rationis particeps latissimè pateret, & circa omnes omnino res, tum cognosce-  
das tum appetendas versaretur; ut quæ omnes, aliquo modo ad gradum spi-  
ritualem possunt pertinere: Altera verò ea tantùm complecteretur, quæ  
sensum cadunt, & corporeæ naturæ sunt consentaneæ.

VI. Magna sanè perfectionis præstantia, magnam indicant Dei in homi-  
nes dilectionem: Sed quæ forsitan videri possit non tam hominem cetero-  
bus corporeis superiorem efficere, quàm inferiorem. Quod prædicta homini  
naturæ constitutio, quandam veluti calamitatem homini videtur parere.  
Cetera namque res, quoniam earum appetitus in vniuersum ens non fertur,  
sed in aliquid determinatum; facile possunt consequi, quod illis est optimum,  
& in eo felices conuiescere.

VII. Homo verò quoniam eius intellectus & voluntas nullis rebus  
mitibus continetur, quicquid vel ratione comprehendat vel voluntate  
quandiu Deum infinitum perfectis operationibus harum potentiarum, non  
assequitur, in quo totum ens possibile atque ad eò totum obiectum voluntatis  
& rationis humanæ, optimo modo continetur; tam diu necesse est sit impo-  
tus, utpote nondum habens quod est ei optimum: Optimum siquidem est  
præstantissimis potentis totum earum obiectum perfectè contingere, nisi  
quo id possibile est, videlicet in vniq; Deo comprehensum.



VIII. Et quoniam fide docemur, hominem suapte natura sola, id consequi nunquam posse; efficitur, illum eiusmodi naturæ esse, ut oporteat semper esse inquietum. Ita, qui ceteras res corporeas in reliquis perfectione vincit, in hoc ab illis videtur superari; nisi forte hoc etiam ad commendationem humanæ naturæ pertinet, quod quæ rebus aliis ad felicitatem sufficiunt, illam tamen etiam obtenta non satiant; & cum aliò qui magna sit ipsius vis, nihil tamen ab ipsa sola effici possit, quod eam felicitate compleat.

IX. Potuisset hæc sistere diuinus erga hominem amor, & quamuis ita constitutum hominem reliquisset, ut quod aliò qui adiutus posset, nunquam tamen totum ipsius obiectum, in Deo unitum, intellectu & voluntate esset perfectè complexurus; non potuisset tamen iure lutum dicere figulo suo, cur me ita facis? veruntamen non se Deus contempsit, quin, ne perpetuò hominem inquietum relinqueret, ei seipsum perfectè videndum, & amandum, tanquã finem ultimum, atque adeò extremam beatitudinem præstiterit. Vt, quod homo naturaliter optabat, obiecto suo perfectè coniungi, neque naturaliter obtinere poterat, supernaturaliter Deo adiuuante assequeretur.

X. Quò verò magis hominem extolleret, ita voluit eum felicitatem hanc adipisci, ut dignitate propriorum operum illam sibi pareret, quemadmodum inferius cum de merito agemus sumus probaturi. Quapropter, ut sicut conuenit, debita esset proportio inter opera, quæ supernaturalem, adeoq; excellentem beatitudinem valitura sunt, & ipsam beatitudinem; Supernaturalia etiam eiusmodi opera esse Deus voluit, vel certè per supernaturalem charitatem in finem ultimum relata.

XI. Supernaturaliter autem operari, aut referre opera, homo non poterat, nisi varia ei essent decreta, à clementissimo Deo supernaturalia siue dona, siue præsidia. Quæ quidem, quoniam ad actiones vim naturalem potentiarum excedentes, referuntur; ac proinde neque homini debentur ex naturali lege, diuinæ voluntatis, qua talem fingerè naturam hominis Deus statuit; Idcirco & supernaturalia & gratuita rectissime dicuntur. Atque ab his donis voluntas diuina, quatenus per eam homini suppeditantur, supernaturalis erga eum dilectio nominari potest, à naturali dilectione ratione solùm distincta.

XII. His aperuisse viam videmur ad naturam gratiæ generatim acceptæ, cognoscendam, quæ non incommodè describi potest, ut sit Donum, per amorem supernaturalem diuinitis, supra naturæ debitum, homini concessum, ad beatitudinem consequendam. Neque enim donum supernaturale, à dilectione supernaturali; neque contrà, dilectionem supernaturalem (qualiscunq; tandem illa sit) à dono supernaturali distinguere potest, ut ex dictis initio patet, & infra ex Scripturis probabitur. Ita gratiam & surpassè diuus Paulus vide-

Psal. 63. ad  
Rom. 6. & Cle-  
mentina ad no-  
strum, de hære-  
ticis ex Conc.  
Vienenfi.

Esai. 45.

tur,



Ephes. 2. tur, cum inquit: Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis. Donum enim Dei est.

In 6. Synodo generali, actione 11.

XIII. Plures gratiae acceptiones, tanquam à proposito alienas confisio omitimus, ex quibus vna est, ut gratuita dicantur illa quae non absoluta necessitate, sed liberaliter à Deo fiunt; quo pacto naturalia dona gratuita etiam dici possent. Ita alicubi scriptum reperimus, Angelos & animas immortales esse, non natura sed gratia. Caterum hic presens gratiae nomen usurpamus.

## CAPVT SECVNDVM.

Quo, varia gratiae dona tum habitualia tum actualia distinguuntur.

1. Cor. 12.

Ioan. 11. prophetavit Caiaphas. Et Matth. 7. talibus dicitur, nunquam noui vos. Vide Aug. l. D. 18. de ciuit. cap. 23.

Gal. 6.

XIII. Videamus modò, quoniam praedicta gratiae ratio generalis est, quàm latè ea pateat. Primum, quae supernaturalia dona homini conferuntur, non ut ipse Deo coniungatur, sed ut ad consequendam beatitudinè, diu cooperetur, missa nunc facimus: Numerata ea sunt à D. Paulo, qui etiam docet ad vtilitatem (aliorum scilicet, ut est in glossa) dari. Et quoniam videndum in homine peccatore, ea reperiri constat; neque homini ad beatitudinè ius suppeditant, quae summum est bonum; commune nomen retinent: ut scilicet quae imperfectiora sunt in aliquo genere, & gratiae gratis datae dicuntur.

XV. Illa verò, quae homini conferuntur, ut ipsemet actionibus supernaturalibus propriam salutem operetur, faciliè intelligemus quàm sint variè, & varietate principiorum, quae ad naturales actiones eliciendas conspiciunt. Namque est supernaturalium prouidentiae suauitas; ea cum prouidentia naturalium, utpote quae à supernaturalibus perficiuntur, proportio & similitudo: ut idcirco etiam rectè videri possit D. Paulus appellasse hominem, & rursus gratiae ornamentis auctum, non iam creaturam.

XVI. Nimirum enim quoniam prima creatura, quae perfectionibus naturalibus continetur, ad veram beatitudinè consequendam non sufficit, quasi altera creatura supernaturalis effingitur, quae ad actiones supernaturales, perinde supernaturalibus donis sit instructa. Nisi fortè supernaturalium rerum ordinem, naturalium ordine imperfectiorem facimus. Ergo, dona quae ad nouam creaturam pertinent, ex prima creatura, tanquam ex noua qualitate effigie, cognoscamus.

XVII. Eorum quidem, quae ad naturales hominis actiones concurrunt, veluti basis est ipsa hominis natura: Hac principium est primum non modò actionum, sed etiam potentiarum, quibus actiones proximè eliciuntur. Hoc ergo natura diuina quaedam qualitas aptè respondet, quae per supernaturalium actionum